



**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Caput 23 [i. e. 22]. De Ornatu qui est in verbis conjunctis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

320 *De Exornatione Argumentat.*
purpurata, & suaviter cælesti gratiâ irrigata
hæc est fratres mei paraditus, in quo plantavi
lignum vitæ cælestis Sapientia &c.

C A P U T XXII.

De Ornatu, qui est in verbis conjunctis.

Dixit suprà l. 3. c. 4. Cyprianus ornatum
orationis duplēm esse; in verbis singulis, &
in conjunctis seu continuatis, id est, uno seorsim
sumpto, verbo & in tota constructione,
seu in pluribus. Hinc egit primò de ornatu,
qui est in uno verbo, dum egit de simplici-
bus, quæ grandiora, sonantiora, nitidiora &c.
& de translatiis per metaphoram, Synedo-
chen &c. usque ad allegoriam exclusivè, &
quia ornatus, qui in allegoria, periphrasi, hy-
perbole & hyperbole est, tropicus est, cum re-
liquis tropis illum expedivit, licet sit in verbis
conjunctis. Nunc verò solùm agit de ornatu,
qui est in verbis conjunctis sine illa transla-
tione seu mutatione significationis, & hic
consistit in collocatione certa, & in modo
quodam ac forma verborum, collocatio e-
nim facit, ut non tantum suo ordine verba
ponantur, quem rei natura exigit, sed etiam
nè asper fiat concursus syllabarum; forma ve-
rò verborum superaddit gratiam orationi,
currat, & cadat ad aurium lenocinium. Illa
tollit asperitatem, hæc autem confert har-
moniam quandam & modulationem, que

ex numero Poëtico ; unde Oratori quoque certa syllabarum dimensio observanda est , de qua postea . c . 34 . & sequentibus , sicut & de collocatione primùm agit à capite 31 . Primum enim agendum erat de figuris verborum & sententiarum , quæ in ipsa collocatione , & numero oratorio implicantur & involvuntur , cùm post tropos præcipuum sint orationis ornamentum .

C A P U T XXIII.

De Figuris .

Figuratus loquendi modus est , quo communiter non utimur , ut patet ex figuris in Syntaxi positis . Unde figura definitur : Est confirmatio quedam , id est , forma , ratio , atque modus loquendi , quæ communiter non est in usu , seu quo vulgus in ordinario sermone plerumque non utitur . Dixi : plerumque , & communiter , nam sicut vulgus quandoque tropis utitur , ita & figuris , v.g. repetitione , traductione , interrogacione , optatione , & clamatione . Verum hoc facit beneficio eloquentiae naturalis aut artificialis auditu aliorum comparata . Hæc definitio convenit etiam locutionibus in Syntaxi selectioribus , elegantius & phrasibus . Item tropis ac figuris syntacticis & poëticis , à quibus tamen figura Rhetorica differre debet . Unde sic definit potest . Est eximus &